

Omelia XXXVIII. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.134va-136va)

In illo tempore. Respondens ihesus dixit. Confiteor tibi pater domine celi et terrae, quoniam abscondisti a sapientibus haec, et prudentibus, et reuelasti ea paruulis. Vtique pater, quoniam ita facta est acceptatio coram te.

Commented [ND1]: [fol.134va]

Vides per quanta eos inducit ad fidem? primum per laudes iohannis. Monstrans enim eum magnum et mirabilem digna fide et uniuersa quae ab ipso erant enuntiauit, per quae in sui cognitionem eos attrahebat, secundum quia dixit, regnum caelorum uim patitur, hoc enim est festinare facientis et impellentis, tertium quia ostendit quoniam prophetae omnes completi sunt. Etenim et hoc monstrabat eum esse qui per illos predictus est, quartum per hoc quia ostendit, quoniam omnia quecumque effici oportebat ab ipso, omnia facta sunt, quando et parabola puerorum meminit, quintum per hoc quia exprobrauit eos qui non crediderunt et terruit, et multum minatus est, sextum per hoc quia gratias egit, pro his qui crediderunt. Confiteor enim tibi, hic gratias ago est. Gratias ago ait quoniam abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, quid igitur in perditione laetatur, et quia non didicerunt haec illi? nequaquam. Sed haec est optima uia salutis, eos qui respuunt, et nolunt suscipere ea quae dicuntur non cogere, ut quia ex uocatione meliores non facti sunt, sed neglexerunt et contempserunt, ab expulsionem in desiderium horum deueniant, ita enim et qui attenderent, studiosiores erant futuri. Reuelatum enim esse his dignum est leticia. Occultari autem ab illis non adhuc leticia, sed lacrimis est dignum. Hoc denique et facit lugens ciuitatem. Non ergo propter hoc letatur, sed quoniam quae sapientes non cognouerunt, cognouerunt hii. Sicut cum dicat paulus, gratias ago deo quoniam fuistis serui peccati, oboedistis autem ex corde, in quam traditi estis formam doctrinae. Non igitur neque paulus, propter hoc letatur, quoniam fuerunt serui peccati, sed quoniam existentes tales, talibus potiti sunt. Sapientes autem hic scribas ait et phariseos. Haec autem dicit discipulos cupidiores faciens, et ostendens quibus digni facti sunt piscatores, a quibus illi omnes ceciderunt. Dicens autem sapientes, non ueram sapientiam dicit et laudabilem, sed eam quam uidebantur ab eloquentia habere. Propter hoc neque dixit, reuelasti stultis, sed paruulis, in formibus ait rusticis, et monstrat non solum preter id quod dignum est non accipientes haec, sed et secundum id quod decet, et erudit per omnia nos, ab elatione quidem erui, rusticitatem autem zelari. Propter hoc et paulus id dixit, cum ampliori superhabundantia ita scribens. Siquis uidetur in uobis sapiens esse in seculo hoc, stultus efficiatur, ut fiat sapiens, ita enim monstratur dei gratia. Propter quid autem gratias agit patri, quamuis ipse fecit? Sicut orat et interpellat deum, multum amorem qui est circa nos ostendens, ita et hoc facit. Multi enim et hoc amoris est et monstrans quoniam non ab ipso exciderunt solum, sed et a patre. Quod enim dixit non mitte sancta canibus, hoc preueniens ipse fecit. Deinde monstrat ex his, et id antecedentem uoluntatem esse patris. Ipsius enim est gratias agere et letari, in eo quod factum est. Patris autem est ostendere quoniam neque ille rogatus hoc fecit, sed quoniam ipse ex se ipse, promotus est. Ita enim ait, facta est acceptatio coram te, hoc est, ita tibi placuit. Et propter quid abscondita sunt ab illis, audi paulum dicentem, quoniam querentes propriam iusticiam statuere, iusticiae dei sunt subiectae. Excogita igitur quid decens erat esse discipulos haec audientes, quoniam quae sapientes non cognouerunt, ipsi cognouerunt, et cognouerunt manentes paruuli, et cognouerunt deo reuelante. Lucas autem ait quoniam in ipsa

Commented [ND2]: per hoc add. super lin.

Commented [ND3]: per hoc add. super lin.

Commented [ND4]: [fol.134vb]

Commented [ND5]: uel magni add. super lin.

Commented [ND6]: uel principalem add. super lin.

Commented [ND7]: uel sponte add. super lin.

Commented [ND8]: [fol.135ra]

Commented [ND9]: magnum scilicet add. super lin.

hora quando uenerunt septuaginta annuntiantes de demonibus, tunc exultauit et dixit haec. Quae et studiosiores eos fecerunt, et moderata de seipsis sapere preparauerunt. Quia enim decens erat eos magna sapere, quia demones abigebant, et hinc eos reprimit. Reuelatio enim erat quod factum est, non illorum studium. Ideoque scribae et sapientes, prudentes estimantes esse apud seipsos, exciderunt propter proprium tumorem. Quocirca si propter hoc ab ipsis abscondita sunt, timete ait et uos, et manete paruuli, hoc enim uos fecit reuelatione potiri, sicut et illos contrarium ea priuari. Neque enim cum dicat quoniam abscondisti, dei hoc totum esse ait. Sed sicut cum dicat paulus, quoniam tradidit in reprobum intellectum, et excecauit eorum intelligentias, non ipsum inducens haec agentem, haec ait, sed illos qui causam tribuerunt, ita et hic ait reuelasti. Quia enim dixit, confiteor tibi quoniam abscondisti, et reuelasti ea paruulis, ut ne estimes quoniam sicut ipse priuatus uirtute hac, et non potens id dirigere, ita gratias agit, inquit, omnia michi tradita sunt a patre meo. Ad eos autem qui letantur, quoniam demonia eis oboediunt ait. Quid enim miramini quoniam demones uobis cedunt? mea omnia sunt, omnia michi tradita sunt. Cum autem audieris quoniam tradita sunt, nichil humanum suspiceris. Vt enim non duos deos ingenitos estimes, hanc ponit dictionem. Quia simul cum genitus est, et omnium dominator fuit, **ex** multis aliis locis et aliunde significat. Deinde dicit aliquid et isto maius, corrigens tuam mentem. Et nullus cognoscit filium nisi pater, neque **patrem** aliquis recognoscit nisi filius. Et uidetur quidem non pendere ab interioribus, his qui ignorant, multam autem habet consonatiam. Quia enim dixit, omnia michi tradita sunt, inducit, et quid mirandum est ait, si omnium sum dominator, cum et aliud aliquid maius habeam, scilicet scire patrem, et eiusdem esse substantiae. Etenim et hoc latenter ostendit, ex eo quod solus ipsum ita nouit. Cum enim dicat, nullus cognoscit patrem nisi filius, hoc dicit. Et uide quando dicit haec? quando per opera acceperunt, eius uirtutes demonstrationem non miracula operantem uidentes solum, sed et in nomine eius tanta **potentes**. Deinde quia dixit, quoniam reuelasti paruulis, monstrat et hoc eius existens. Neque enim patrem aliquis recognoscit ait nisi filius, et cuicumque uoluerit filius reuelare, non cuicumque iniunctum ei fuerit, neque cuicumque preceptum ei fuerit. Si autem illum reuelat, et seipsum. Sed hoc quidem ut confessum dimisit, illud autem posuit, et ubique hoc quidem ait, ut cum dicat, nullus potest ad patrem uenire nisi per me. Per haec autem et aliud instruit quod ostendit, quoniam consonans ei est et concordans. Tantum enim ait absisto ab obuiando ei et repugnando, quoniam neque possibile est uenire aliquem ad illum nisi per me. Quia maxime hoc eos scandalizabat, quod uidebatur deo contrarius esse, per omnia hoc destruit, et per signa non minus, sed et multo plus de hoc studuit. Cum autem dicat, neque patrem aliquis recognoscit nisi filius, non hoc ait, quoniam omnes eum ignorauerunt, sed quoniam cognitione qua ipse eum nouit, nullus eum scit. Quod et de filio est dicere. Neque enim de ignoto quodam deo, et nulli notae facto, haec dixit, sicut ait marchion, sed certam cognitionem hic enigmaticae insinuans, quia neque filium noscimus, sicut oportet scire. Et hoc ipsum nempe paulus ostendens, dixit. Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus. Deinde constituens per ea quae dicta sunt in desiderium eos, et ostendens **eius** uirtutem ineffabilem, tunc uocat dicens. Venite ad me omnes qui laboratis, et honorati estis, et ego requiescere uos faciam. Non ille et ille, sed omnes qui in sollicitudinibus, qui in tristitiis, qui in peccatis estis, uenite, non ut expetam noxias, sed ut soluam peccata. Venite non quia indigeo uestra gloria, sed quia indigeo uestra salute. Ego enim ait requiescere uos faciam. Non dixit saluabo solum, sed et quod multo amplius erat in omni otio constituam. Leuate iugum meum super uos, et discite quoniam mitis sum, et humilis corde, et inuenietis requiem animabus uestris, iugum enim meum suaue est, et onus meum leue. Ne igitur timeatis ait, iugum audientes, suaue enim est. Ne formidetis quia onus dixi, leue enim est et qualiter antea dixit, arca est porta, et contribulata est uia? cum deses fueris, cum negligens, quia si direxeris quae dicta

Commented [ND10]: et hoc *add. super lin.*

Commented [ND11]: [fol.135rb]

Commented [ND12]: uel posse *add. super lin.*

Commented [ND13]: [fol.135va] suam *add. super lin.*

sunt, leue erit hoc onus. Ideoque nunc hoc ipsum uocauit, qualiter autem dirigitur? Si humilis efficiaris, et mitis, et mansuetus. Haec enim uirtus mater est uniuersae philosophiae. Ideoque incipiens diuinas illas leges, hinc incepit. Et hic rursus hoc idem facit, et maximum ponit premium. Non enim alii efficeris utilis solum, sed et teipsum ante omnia requiescere facis ait. Inuenietis enim requiem animabus uestris, et ante futura hinc dat tibi retributionem, et brauium iam prebet, et ita et imponendo seipsum exemplum in medium, facile susceptibilem faciens sermonem. Quid enim formidas ait, ne diminuaris humilis existens? me intuere et mea omnia. A me disce, et tunc scies manifeste, quam magnum est hoc bonum. Vides qualiter per omnia eos inducit ad humilia sapiendum? a quibus ipse fecit. Discite enim ait a me, quoniam mitis sum, a quibus ipsi lucrandi erant. Inuenietis enim ait requiem animabus uestris, a quibus ipsis largitur. Requiescere enim uos faciam, et ego ait, a quibus leue id instruxit. Iugum enim meum suaue est, et onus meum leue est. Ita et paulus facit dicens. Quod enim mox tribulationis nostrae leue est secundum superhabundantiam aeternam grauedinem gloriae operatur.

Commented [ND14]: leue *add. super lin.*

Commented [ND15]: [fol.135vb]

Commented [ND16]: in superhabundantiam *add. super lin.*

Et qualiter leue ait est hoc onus? cum dicat, nisi aliquis odio habuerit patrem aut matrem, et qui non leuat crucem suam et sequitur me, non est me dignus. Et qui non abrenuntiat omnibus quae ei existunt, non potest meus esse discipulus. Cum iubeat et ipsam tradere animam. Doceat te paulus dicens. Quis nos separabit ab amore christi? Tribulatio aut angustia aut persecutio aut fames aut nuditas aut periculum aut gladius? Et quoniam non dignae sunt passiones presentis temporis, ad gloriam reuelandam in nobis, doceant te, qui a contione iudeorum post decem milia flagella reuertebantur et laetabantur, quoniam digni effecti sunt pro nomine christi dehonoriari. Si autem adhuc formidas et horrescis, iugum et onus audiens, non naturae rei est hic timor, sed tuae desidia. Quia si fueris preparatus et desiderium habens, omnia tibi facilia erunt et leuia. Propter hoc enim et christus ostendens, quoniam oportet et nosipsum laborare, non suauiam solum dixit et siluit, neque honerosa solum, sed alterutra posuit, et iugum dixit, et suaue nominauit, et onus nuncupauit, et leue apposuit, ut neque quasi laboriosa fugias, neque ut ualde facilia contempnas. Si autem et post haec omnia difficilis uirtus esse tibi uidetur, excogita quoniam difficilior est malitia. Quod et ipsum igitur enigmatice insinuans, non prius dixit accipite iugum meum, sed primum uenite qui laboratis et honorati estis. Monstrans quoniam et peccatum laborem habet, et onus est graue et difficile portabile. Neque enim laborantes dixit solum, sed et honoratos. Et hoc, et propheta dixit, naturam eius subscribens. Sicut onus graue, grauari sunt super me. Et zacharias subscribens id, plumbi talentum id esse ait. Et hoc et experientia ipsa ostendit. Nichil enim ita aggrauat animam et premit inferius, sicut peccati conscientia. Nichil ita alleuiat et sublimen facit, sicut iusticiae et uirtutis possessio. Intende autem quid difficilior dic michi, quam nichil possidere, quam uertere maxillam, et percussum non repercutere, quam mori uiolenta morte? sed tamen si philosophemur, haec omnia leuia et facilia, et uoluptatis sunt operatiua. Sed non tumultum patiamini, sed singulum eorum, cum diligentia tractantes, inuestigemus. Etsi uultis, quod primum est scrutemur. Quod et multis laboriosum esse uidetur. Vtrum igitur dic michi, graue et laboriosum est de uno uentre sollicitum esse, uel decem milium curam habere? Vnum circum amiciri uestimentum, et nichil amplius inquirere, aut multa intus habentem, secundum unamquamque diem et noctem dilaniari, formidantem, trementem pro custodia, dolentem et suffocatum pro damno, ne tinea esca efficiantur, ne famulus auferens fugiat. Verumtamen quaecumque dixerero, nichil representabit tale sermo quale rerum ostendet experientia. Ideo uellem quendam eorum qui in illum iam deuenerunt philosophiae uerticem nobis adesse, et tunc manifeste uideres, rei huius delectationem, et qualiter nullus eorum qui diligunt paupertatem, acceptaret ditari decem milibus prebentibus. Hii autem acceptarent quandoque effici inopes ait, et

Commented [ND17]: Morale xxxviii. quoniam iusticiae iugum leue est, et ad salutem ducens, malitiae autem iugum graue est, et perditionis est causa. *notum in marg.*

Commented [ND18]: uel concilio *add. super lin.*

Commented [ND19]: peccati *add. super lin.*

Commented [ND20]: [fol.136ra]

Commented [ND21]: uel quod *add. super lin.*

Commented [ND22]: donatibus *add. super lin.*

proicere sollicitudines quas habent? Et quid hoc? amentiae enim eorum et difficilis egritudinis est hoc ostensio, non existendi, hoc delectabile. Et hoc et ipsi testabuntur nobis qui per unamquamque diem in talibus lamentantur sollicitudinibus et uitam, non uitam esse estimant. Sed non illi ita, sed rident, saltant, et his qui diadema sibi circumimponunt, magis in paupertate decorantur. Rursus uertere maxillam, intendenti facilius est quam percutere alium. Illic enim principium prelium accipit, hic autem solutionem. Et in illo quidem alterius pyran accendisti, in hoc autem et tuius flammam extinxisti. Quoniam autem non ardere delectabilius est quam ardere, omnibus est manifestum. Si autem in corporibus est hoc, multo magis in anima. Quid autem leuius est in agone esse uel coronari? luctari uel brauium habere, et fluctibus quati uel in portum morari? Quocirca mori melius est quam uiuere. Hoc enim extrahit a procellis et periculis, illud autem adicit, et obnoxium facit decemmilibus insidiis et necessitatibus. Propter quas non uitam esse uitam estimatis. Si autem non credis his quae dicuntur, audi eos qui uiderunt facies martyrum, in tempore agonum, qualiter flagellati et lacerati gaudentes erant et hylari, et in sartagine positi, his qui in fulcra iacent, magis letabantur et gaudebant. Ideoque paulus dixit, hinc abiturus et dissoluturus uiolenta morte uitam. Letor et congaudeo cum omnibus uobis. Hoc autem ipsum et uos letamini et congaudete mecum. Vides cum quanta superhabundantia orbem terrarum uniuersum, in communionem leticiae uocat? Ita magnum bonum nouerat abscessionem, quae hinc est existentem, ita desiderabilem et concupiscibilem et oratione dignam, tam terribilem mortem. Sed quoniam delectabile quidem et leue est uirtutis iugum, et aliunde multi modae est manifestum. Iam autem si uidetur et peccati uideamus honera, quocirca auaros in medium inducamus et caupones. Quid igitur difficilius hac negotiatione fiet unquam? quantae tristitiae, quantae sollicitudines, quantae offensiones, quanta pericula, quantae insidiae et prelia, secundum unamquamque diem in his germinantur lucris, quanti tumultus et turbationes? Sicut enim mare non est uidere unquam sine undis, ita neque talem animam extra sollicitudinem, et merorem et timorem et turbationem. Sed priora assumunt secunda, et rursus alia superueniunt, et his nondum quiescentibus alia tumescunt. Sed contumelias inferentium et irascibilium uis animas uidere? et quid experientia hac est deterius, quid uulneribus quae habent intus, quid camino quae continue ardet, et flamma quae numquam extinguitur, sed quid his qui diligunt corpora, et ob presentem uitam liquantur, est deterius? et quid hac seruitute est difficilius? cain uitam uiuunt, cum tremore continuo permanentes, et timore secundum unumquemque obeuntium. Magis autem his qui illis attingunt, proprium plorantes finem. Quid autem tumentibus turbabilium et insanius. Discite enim ait a me, quoniam mitis sum, et humilis corde, et inuenietis requiem animabus uestris. Omnium enim innocentia est mater bonorum. Ne igitur timeas, neque refugias iugum ab omnibus talibus te alleuiantem. Sed uade sub ipso, cum uniuerso desiderio, et tunc eius nosces manifeste uoluptatem. Neque enim conterit tuum collum. Sed ob solam bonam ordinationem imponitur, et ut suadeat ire, recto tramite, et ad regalem te ducat uiam. Et a precipitationibus quae alterutrinque sunt, eruat et faciat cum facilitate arcam ire uiam. Quia igitur tanta eius sunt bona, tanta est stabilitas, tanta est leticia, tota anima, omni studio, hoc attrahamus iugum, ut et hic requiem inueniamus animabus nostris, et futuris fruamur bonis, gratia et filantropia id est amore hominum domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium nunc et semper et in secula seculorum amen.

Commented [ND23]: non add. super lin.

Commented [ND24]: pauperes add. super lin.

Commented [ND25]: [fol.136rb]

Commented [ND26]: contemplanti add. super lin.

Commented [ND27]: [fol.136va]

Commented [ND28]: uel omni desiderio add. super lin.